

pinari ad gr. xxv. quod nullo modo fit in crudo; Castrata ergo fuit ejus vis per sp. ☉. Et hoc etiam verum est de alio modo quo fit **MAGISTERIUM SCAMMONIATUM**, quando scilicet scammonio pulverisato affundunt spir. ☉ rectificatum, solvunt, extrahunt, & extractum præcipitant cum oleo tartari & procedunt ut in magisterio coralliorum, abluendo illud, cujus dosi est à ℥j. ad ℥iv. sed apparet ex magna dosi, quod non sit correctio, sed potius castratio, aded ut tales præparationes potius sint irridendæ & ridiculæ quam amplectendæ. **SCAMMONIUM SULPHUREUM** fit per imbibitionem cum fumo sulphureo: Fundamentum hujus præparationis est hoc, quod fumus sulphureus accensi imprægnat scammonium: jam verò cum fumus sulphureus acidus & spiritus vitrioli sint ejusdem naturæ & ejusdem essentia, patet quod sit castratio, non vero genuina præparatio. Et hoc scammonium sulphuratum generalius & potentius est quàm Diagyrium, commodius loco stimuli adhibetur scammonium sulphuratum quàm Diagyrium. Multi sunt qui succum rosarum & cydoniorum habent pro generalibus corrigentibus omnium purgantium, quod tamen magis valet de succo cydoniorum, utpote stomachico, quàm de succo rosarum, qui non aded est cordialis & stomachicus. Fit etiam ☉ **SCAMMONIATUM PURGANS** scil. ℞. Scammonii lib. i. & solvitur in spir. vini q. s. postmodum ℞. ☉ commune, & solvitur in Aqua Fontana: ambæ solutiones permiscuntur invi-

cem & evaporantur, sensim sensimque & in fundo residebit ☉, quod sine sapore neuseabundo purgat leniter, datur à ℥ss. ad ℥j. Estque nihil aliud quàm ☉ commune imprægnatum scammonio. Denique pro correctione scammonii cum dixerim, quod succus Cydoniorum sit optimus, solet permisceri cum Gelatina Cydoniorum & fieri Gelatina scammoniatæ laxativa, vocaturque **DIACYDONIATUM LAXATIVUM**: præparationes vid. in **AUCTORE**: Et quidem de gelatina Cydoniorum supra egimus sub Cydoniis. Ad earum imitationem imprimis ad primæ præparationis, quæ fit cum succo Cydoniorum potest fieri cum succo ribium, berberum, rubi idæ, & succis aliis, Diaribium laxativum, Diaberberum laxativum & sic porro. Ab **AUCTORE** describitur Diacydoniorum laxativum.

Et hæc quoque de *Purgantibus Secundariis*. Cæterum ex hisce 2. sufficere possent, *aloe* nimirum & *scammonium*, aded ut cæteris facile superfedere possemus; *Vnde ex omnibus purgantibus 7. sufficerent, 5. ex primariis & 2. ex secundariis.* Ex primariis *Rhabarbarum, Helleb. Nig. Jalap. Colocynth. & Senna.* Ex secundariis *Aloe & Scammonium.* His si rectè utaris, citra incommodum ægros purgare, cumque summa existimatione finem nobis propositum assequi poterimus: *Quibus jam concludimus Regnum Vegetabile, & ad Animale pergamus.*

**SCHRÖDERI**  
**DILUCIDATI**  
**ZOOLOGIA**  
*SIVE*  
**REGNUM ANIMALE.**

\*U 3 Absoluta